

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Instabilitas f cum fonte primo

Diuersitas est uicium et signum
uacillantis animi ac nondum
habentis uigorem suum.

Nemo proponit sibi quod uelit, nec si
proposuit perseuerat in eo sed transilit,
nec tantum mutat sed reddit, et in ea que
deseruit ac dampnauit reuoluitur.

Quid est sapiencia? semper idem uelle
atque idem nolle.

Non potest idem semper
placere nisi rectum.

Variatur cotidie iudicium et in
contrarium uertitur, ac plerisque
agitur uita per
usum.

Seneca in epistola.

Quidam se domi contrahunt, dilatant
foris et extendunt:

vitium est haec diuersitas et signum
uacillantis animi ac nondum
habentis tenorem suum.

Etiamnunc dicam unde sit ista
inconstantia et dissimilitudo rerum
consiliorumque:

nemo proponit sibi quid uelit, nec si
proposuit perseuerat in eo, sed transilit;
nec tantum mutat sed reddit et in ea quae
deseruit ac damnauit reuoluitur.

Itaque ut relinquam definitiones
sapientiae veteres et totum complectar
humanae vitae modum, hoc possum
contentus esse:

quid est sapiencia? semper idem uelle
atque idem nolle.

Licet illam exceptiunculam non adicias,
ut rectum sit quod uelis:

non potest enim cuiquam idem semper
placere nisi rectum.

Nesciunt ergo homines quid uelint nisi
illo momento quo uolunt; in totum nulli
uelle aut nolle decretum est;

uariatur cotidie iudicium et in
contrarium uertitur ac plerisque

agitur uita per
lusum.

Lucius Annaeus Seneca, *Ad Lucilium
epistulae morales*, 20, 3-6 (L. Reynolds
ed., vol.1, p.54, ll.4-19).